

diæ Dei erga pios & Ecclesiam, quæ ser-
uatur in arca, quæ est Christus: pereun-
te toto reliquo mundo. Huc Petrus I.
Pet. 3. nos reuocat aquæ diluvii compa-
rans baptismum nostrum, quo serua-
mur virtute resurrectionis Christi, non
minus quam Noach per arcam seruatus
fuit in diluvio.

24. R O B O R A V E R V N T A U T E M
S E A Q V A E C L. D I E B V S. Tamdiu
aquæ steterunt in vigore sine remissio-
ne, etiamsi post diem quadragesimum
se roborare, id est, crescere desierunt B
saltem vehementer. Putat A. Ezra, nec
improbat *Mercerus*, pluisse quidem et-
iam post 40. dies, sed remissius, nec con-
tinenter, ut prius. Ideo dicit, tamdiu a-
quas fuisse roboratas. Iam omnia inter-
ierant, Noach cum suis excepto: stete-
runt tamen aquæ totos dies 150. ut nihil
omnino vitale relictum de pristino
mundo, ne ouum quidem, aut semen,

aut quicquam, quod potentia vitam
haberet, fuisse constaret: Omnia siqui-
dem tam diuturnis aquis penitus com-
putrescere necesse fuit.

Textualis est *questio*, vnde hi 150. dies
inchoandi: an à primo pluuiarum die,
an vero à fine 40. dierum. *Iosephus* poste-
rius sentit, quem sequitur *Caietanus*.
Ambrosius & *Lyra* prius statuunt, quibus
& ego assentior. Miror vero, *Pererium Perer. Comi-*
vtramque sententiam probare: cum *lib. 12. pag.*
posterior consistere non possit cum iis,
quæ vers. 4. cap. 8. dicuntur, arcam quiete-
uisse mense 7. die 17. Quiescere enim
non potuit intra hos dies 150. quando
in vigore steterunt aquæ. A die autem
17. secundi mensis, quo cœperunt plu-
uiæ usque ad 17. diem 7. mensis, præcise
sunt dies 150. Vnde etiam colligitur.
mensum & annorum ratio ante dilu-
uium: ut postea explicabitur.

C A P I T I S O C T A V I

Argumentum, Usus, Partitio.

Hoc capite describitur catastrophe horribilis iudicij in impium mundum editi, & quomodo
quod dictum erat cap. 7. vers. 23. Noach cum suis in arca seruatus, tandemq; inde quasi ex se-
pulchro liberatus, ac mundo restitutus fuerit, exponitur. Tandem enim aquæ recesserunt, & terra
diluvio liberata, rursus sicca apparuit, haud minore Dei miraculo, quam olim in prima creatione
potentia verbi Dei ex aquis abyssi extraclla fuerat. Atque tunc Noach cum familia cunctisq; ani-
malibus ex arca iussu Dei in mundum nouum quasi nouus hospes pedem posuit, cui & omniæ ea obtu-
lit, & de nunquam reddituro vniuersali diluvio, sed firmiter mansuro dehinc naturæ ordine promis-
sionem accepit.

Audiamus igitur Exemplum singularis prouidentia Dei, qua suos in periculis extremis non
destituit nec eorum obliuiscitur, sed creaturas omnes, cum maxime videntur aduersari, in salutem
corum dirigit: Praclare item obedientia & pietatis Noach: qui, ut arcam non erat ingressus: ita
eam nec egreditur iniussus: Vnde actiones nostras ad Dei verbum, tanquam ad unicam rectitudinis
normam perpetuo conformare discamus. Denique immensa etiam misericordia Dei, qua cultum
piorum benigne acceptat, & ad seruandum mundum gratuito se obligat.

Partes principales duæ sunt:

I. De cessatione diluvii, usque ad
vers. 15.

II. De Noach egressu ex arca.

Priore distincte narratur, quibus cau-

sis, quando, & quantopere aquæ de-
creuerint, terraque tandem rursus arue-
rit: & quid interim Noach ad explo-
randam diluvii cessationem in arca fe-
cevit.

Postea